



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Consultationes Theologicæ Et Spirituales Christiani verè fidelis & verè devoti ...**

... De Excellentissimis Jesu Christi Dei-Hominis

**Louis François <d'Argentan>**

**Augustæ Vindel. ; Dilingæ, 1723**

**VD18 80217931**

Consultatio X. De Infantia & vita abscondita Christi Jesu.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45509**



## CONSULTATIO X.

De Infantia, & vita abscondita Christi  
Jesu.

**A**d miretur qui volet, excellentias Dei, me quod spectat, ipsius admiror infirmitates. Quod enim Majestatem & gloriam possideat Deus, quodque omnes creaturæ obsequiosissima ipsi præstent homagia, haud difficulter concipitur. Sed aspicere in eo vilitates, debilitates, & omnes infirmitates parvorum infantium, mihi omnino incomprehensibile videtur. Dicerem libenter cum vale: *Consideravi, & expavi.* Defeci præ admiratione, in hoc statu intuendo ipsum.

Tota societas, quæ audiêrat, quid actitatum fuerit in consultatione præcedenti, haud mediocri delibutam se sensit voluptate, dum cognovit tot tantisque Reges præstare homagia excellentis Infantis JESU: aliqui ipsum adorando, aliqui ipsum metuendo, alii vitam suam pro vitâ ipsius collocando: hoc videbatur illis aliquid conferre splendoris Majestati ipsius. Sed positis his omnibus, adjunxit prudentiorum quispiam, ipse est

ceterorum omnium infantium; Et dicere ipsum Deum esse æternum, Deum Omnipotentem, quæ mens, quis animus hæc non obruitur & obtunditur cogitatione? Ipse est Infans pauper, jacens in stabulo tenuem super paleam, qui magis derelictus videtur aliis omnibus filiis hominum; Et dicere, ipsum supremum esse Monarcham mundi, qui gloriam & divitias possideat in domo sua; nonne stupore convelli, & attonitum hæere oportet, si in hæc aspiciatur & attendatur conditio.

Et tandem hic est infans, qui mansit incognitus, quasi nullus ipsi fuerint in mundoque vel ordo vel locus. Siquidem post parvum hunc gloriæ radium, quo circumfusus fuerat in cunis suis, quemque etiam pauci admodum pereceperunt, nulla est amplius facta de ipso mentio. Quis evasit ex hoc tempore? an nihil patravit dignum consideratione? an saltem non protulit verbum, aut aliquod effatum, quod mereatur referri in facta, intra triginta annorum

Intellectus  
hæret attoni-  
tus, conside-  
rans Deum  
æternum esse  
infantem.

Pleraque par-  
vitæ Christi  
sunt absque  
splendore.

spa-

spatium, quod intervallum est in historiâ vitæ ipsius annotatum? Siquidem post pauca illa, quæ observata sunt circa Nativitatem ejus in Betlehem, vix verbo refertur unico, quod duodecimum agens annum egit in templo in medio Doctorum, & mox transitur ad ipsius Baptismum, quem trigésimo suscepit ætatis suæ anno; & de toto temporis spatio, à cunis usque ad Jordanem, nullus omninò fit sermo. Quid cogitari de hoc potest?

Toti naturæ humanæ nonne referebat plurimi, ne permitteret dilabi vel unicum vitæ ipsius momentum, quod non observaret studiosè, vel non asservaret præciosè? Siquidem cum ipse sit Homo-Deus, & Salvator omnium peccatorum, & felicitas totius mundi, nimirum ipsius opus erat ponderis, valoris & mæni infiniti; Quis, quem formavit in terris, gressu erat majoris, quàm affixisse stellam cælo; quævis respiratio, quam fecit Deus Homo, superabat longè omnes Cæsarum palmas & victorias; quodvis, quàm protulit verbum, nobis fuerat majori studio custodiendum, quàm creatio totius naturæ corporalis. Ut quid omnibus his ad eò pretiosis exspotiamur gazis? Juvenis quispiam princeps totam aulam, universum populum tenet

suspensum, animorum oculorumve acie in se defixum, examinantur omnes ipsius actiones, ponderantur omnia ipsius verba, ut trahantur exin auguria, circa id, quod constituere olim debeat vel felicitatem, vel infelicitatem totius regni. Unde oritur, quod nihil observatum fuerit circa illum, qui Rex Regum est, à cujus personâ dependet felicitas totius universi?

Videtur mediocritatem Evangelii impendi debuisse ad describendum accuratè primos vitæ ipsius annos, eoquod ingens multitudo hominum suâ feratur devotione majori erga Infantem Jesum, quàm erga cætera vitæ ipsius mysteria. Nonne verum est, inquit, meæ Dominæ, convertens se ad aliquas fœminas ibi præsentis, vehementiori vos affici devotione erga Infantem Jesum? gratia se accommodat in hoc inclinationibus naturæ, & non facit, nisi quod illas perficiat: Vos omnes amatis naturaliter infantes, & videtur vos non esse, nisi pro infantibus, in mundo sicut arbores pro fructibus: nullo majori solatio demulcèri potest vestra devotio, nisi colloquio de Infantia Christi Jesu.

Hæc ratione inducebat istos Dominos, qui locuti fuerant in Consultatione præcedenti, ad faciendum idipsum hîc, circa argumen-

Devotio fœminarum plerumque fertur erga Infantem Jesum.

gumentum, quod omnes audire desiderabant tantò ardentius, quantò expectabant certius, declaranda fore ab ipsis plura abscondita mysteria, & explorata paucissimis arcana. Carpopho-

rus specialiter circa hoc requisitus, nullamque intermittens obsequendi occasionem, ex congenitâ sibi benevolentia, ita fari cœpit.

## ARGUMENTUM.

*Infans Iesus nutritus & educatus est juxta apparentiam, more aliorum infantium.*

### ARTICULUS I.

**DEus produxit Adam majorem: erat is triginta jam annorum à primo die vitæ suæ.** **SI** dicerem vobis, quod protoparens noster Adam habuerit jam triginta annos à primo die, quo incepit vivere, crederetis me dicere vobis rem ridiculam. Quomodo enim numerare jam poterat triginta annos, cum non numeraverit adhuc nisi primum vitæ suæ diem? Nihilominus dicerem vobis rem verissimam; Siquidem cum Conditor ipsius creaverit ipsum in statu hominis perfecti, & tali, quem via naturali acquirere potuisset in ætate annorum triginta, dispensavit cum ipso in ætate faciendo ipsum majorem, & conferendo illi statum, in quo possidere posset bonum suum, quod erat totius mundi imperium, à primo momento vitæ suæ.

**Iesus Christus perfectus in utero Matris suæ.**

Eadem ratione, si loquendo de Adam secundo, Iesu Christo, vobis dicerem, ipsum esse Infantem, qui nunquam fuerit infans, sed qui fuerit Vir perfectus

non solum à primo Nativitatis suæ die, sed dum conclusus adhuc erat in utero Virginali Sanctissimæ Matris suæ, crederetis fortassis, me loqui contra sanam mentem, hocque esse impossibile; nihilominus est veritas tam constans, ut nunquam fuerit hæreticus, qui dubitaverit de illâ: quod ut facilius comprehendas, tres distinguendæ sunt substantiæ in Christo Iesu, ipsius divinitas, ipsius anima, ipsius corpus.

Secundùm divinitatem suam Secundùm divinitatem suam ejusdem Patre. nunquam fuit infans, licet sit Filius unicus divini Patris sui, quia nunquam incepit vivere: Verùm quidem est, ipsum habere originem, sed non habet initium; verùm est, ipsum esse ab alio, sed ejusdem cum Patre est ætatis, qui dedit ipsi esse. Nunquam is crevit, nunquam augmentum perfectionis acquisivit cum ætate, cum ipse nascatur **Deus**

Deus infinita ratione perfectus: ab æterno instanti divinæ generationis suæ, non est major ætate nunc, quam fuerit in illo momento, & unquam deinceps erit; tam est juvenis, ut aliud non faciat, quam quod actualiter nascatur; nihilominus tam est antiquus, ut nihil antiquius sit ipso, nequidem pater ipsius æternus. Verum igitur est, ipsam secundum divinitatem suam, nunquam fuisse infantem.

Secundum animam suam est natus æquè perfectus, sicut jam est.

Secundum animam suam, verum est, quod inceperit esse in momento, quo conceptus fuit in utero Matris suæ Virginis. Sed in primo instanti, quo ipsius anima fuit creata ab Omnipotenti manu Dei, ubi contribuit & ipse cum Patre & Spiritu Sancto, ipsa tam fuit perfecta, quam modo sit: Erat jam tunc ditata pleno rationis usu; in instanti fuit etiam tota repleta gratiis, adhuc illustrata cognitionibus supernaturalibus (& etiam naturalibus, quæ non dependebant ab organis corporis) tota insuper virtutibus dives, tota accensa perfectissimo amore Dei, possidens jam ipsam visionem beatificam essentia Dei; Et unico verbo, tam perfecta in omnibus, quam sit in presenti. Affirmari ergo non potest, ipsum unquam fuisse infantem secundum animam, eoquod vir fuerit perfectus, antequam natus, juxta

hæc verba Vatis: *Famina circumdabis virum.* Nunquam crevit, nunquam augmentum perfectionis sumpsit secundum animam nunquam in his aliquid de novo acquisivit ex crescentibus annis.

Sed secundum corpus suum verum est, quod fuerit infans, & totus similis aliis infantibus; Et in hoc elucet admirabilis, quam fertur in nos, dilectio. Jucundum est videre hoc Verbum æternum quod tam est potens, ut in momento producere posset centies millenos mundos omnimodâ perfectione ex cultos è sinu nihili, & videre eum illo magnam hanc animam, quæ sola majori pollebat intelligentiâ & potestate, quam omnes Angeli, & ceteræ omnes animæ hominum: Videre hoc Verbum Omnipotens Patris & nobilem hanc animam simul conjuncta in parvo hoc corpore humano, cui in instanti conferre poterant omnem magnitudinem, omnemque perfectionem, quam habere poterat cum tractu annorum, quæque nihilominus illud relinquebant & tolerabant in suâ parvitate, eoquod Verbum æternum, cum eo nomine factum sit caro, ut assumeret in se omnes naturæ nostræ infirmitates, & anima patienter expectare voluerint lentum & imperceptibilem naturæ progressum; permittendo formari paulatim

Jer. 31. v. 22.

Jesus Christus secundum corpus suum natus est parvus & debilis velut omnes alii infantes,

Jesus Christus portare in se voluit omnes infirmitates aliorum infantium.

Rr

latim

latim parvum hoc Corpus, quod ideo captivum retinebant in utero Matris suæ, usque ad tempus, quo congruam obtinuerit ad exeundum magnitudinem. Exin, cum natum esset, concesserunt ad huc necessarium naturæ tempus, ad impertiendum ipsi insensibiliter incrementum, quin darent plus virium corpori ad perficiendam conformitatem membrorum; nec plus facultatis linguæ, ad enuntianda verba, nec plus firmitatis ac roboris pedibus ad efformandos gressus; nec plus virtutis brachiis & manibus ad operandum, quàm si fuisset simplex infans sicut omnes alii. O Deus! quanta subjectio sapientiæ infinitæ, dum submittere se voluit imbecillitatibus, gressibus imperfectis & balbutiis infantum! O Verbum æternum! Verbum adorandum! eloquentia infinitâ ratione sublimis Dei Patris tui! ad quæ & quanta demittis te ex amore erga me!

*Infans Jesus habitus fuit in suâ tenerâ ætate sicut alii infantes.*

Verum an opus fuit, quærebatur una ex illustribus his sceminis, ut, cum esset Deus Omnipotens, tam abundanter omnem enuntians naturam, ipsemet redigeretur eò, ut lac exurgeret è sinu Matris suæ? an opus fuit præbere ipsi pulmenta, instruere illi mensam, recreare illum mille blandimentis, & denique omnes alias ipsi impendere curas,

quas impendimus nostris infantibus nondum præditis usu rationis? An sapientia infinita indigebat his omnibus? vel potius an admittere poterat parvula hæc oblectamenta, quæ admitteret nemo perfectioris ætatis.

Dubio procul, respondit Carpophorus: Nam cum eo nomine suspenderit Omnipotentiam divinitatis suæ, & omnes animæ suæ prærogativas, ut relinqueret naturam corporalem in eadem conditione, cui subduntur infantes alii, videbantur in ipso eadem innocentes puerilitates, quæ parvæ huic communes sunt ætati. Verùm actiones hæc erant sapientiæ perfectissimæ, utpote directæ à magnâ hæc intelligentiâ, quæ infallibilis omnium rerum naturalium est regula; tum etiam, quia Humanitas Sanctissima, cum infinitâ ratione absuerit à peccato, & omni imperfectione cum peccato connexionem habente, facere nihil poterat, nisi quod esset perfectum in statu suo.

Hinc sanctissima Virgo Mater ipsius, quæ divini hujus Infantis noverat dignitatem, exhibuit illi omnia, quæ perfectissimam decent Matrem, obsequia cum omni affectu, omnique fidelitate, quæ tali congruebant matri, tali debebantur Filio. Ne credas, imitari ipsum voluisse immitium illarum matrum abusu,

*Beatissima Virgo lactavit ipsam Infantem Jesum.*

sum, quas Juris Consulti solummodo semi Matres appellant, quæ suos lactandi filios curam & onus imponunt aliis. O Deus! quam procul abfuit, ut sustineret adorandum suum Filium vel unicam sumere guttam lactis alterius, quam illud uberum suorum. Siquidem sicut ipsa sola totam subministravit materiam formando pretioso ipsius corpori, ita suppeditare quoque voluit è purissimis suis uberibus & regione cordis sui, necessarium omne alimentum, ad nutriendum ipsum in tenellâ ætate suâ. Sanctus Bonaventura tenet, figuram & quali Prophetiam hujus veritatis fuisse, quod Moyses adhuc infans, cum exemptus fuisset à submersionis periculo à Pharaonis filiâ, nunquam sumere nec fugere voluerit lac ex uberibus fœminæ alterius Ægyptiacæ, sed opus fuerit nationis suæ inquirere nutricem, quam providentia divina esse voluit propriam ipsius Matrem, ita ut nulla alia lactandi ipsum potita fuerit facultate & prerogativa. Hoc non est, quod omnia entia à creatore usque ad creaturas, aspiciendo divinum hunc Infantem, velut centrum felicitatis suæ, velutque gloriam totius universi, non contribuerint, unumquodque pro modulo suo, ad suppeditandum sua ipsi alimenta, sicut

tota aliqua ditio exhaurit se pro sui principis gloriâ. Sed ut intelligamus, qua ratione & velle hic vos vestras attollere cogitationes, ad considerandum prodigium quoddam, quod nemo fere intuetur. Advertendum est, Jesum Christum nihil habere à seipso, & omnia, quæ habet recepisse ab alio ipsumque etiam non conservare id, quod habet in seipso, eoquod nutriatur & sustentetur à quodam alio. Si aspicias ipsius divinitatem, recipit hanc à Deo Patre suo; opus est etiam, eundem Patrem suum nutrire hanc continuo, communicando ipsi propriam suam substantiam per emanationem semper actualem, quæ nunquam interrumpatur; Et si per impossibile unico suspenderetur momento, unigenitus hic Filius non viveret amplius secundum divinitatem suam. Si intueris sanctissimam ipsius animam, quam accepit à Deo per creationem, non habet ipsa vitam supernaturalem, gratias, cognitiones, perfectiones & sanctitatem, nisi quas accepit à Spiritu Sancto; Opus est etiam, eundem Spiritum Sanctum nutrire semper in illâ cœlestem hanc & pretiosam vitam, quam ipsi communicavit, per continuam nunquam intermissam influentiam, & si per impossibile vel unico duntaxat suspenderet hanc

*Jesús Christus semper est productus & nutritus ab alio secundum se totum.*

Rr 2 mo-

S. Bonavent.

lima  
sta-  
amet  
em JE

momento, perderet mox excellentem hanc vitam. Si attendas sacratissimum ipsius Corpus, accepit hoc totum integrum à Sanctissimâ sua Matre, & dependet ab illâ, quantum spectat ad conservationem & nutritionem esse hujus corporalis. Ipsa est sola, quæ formavit illud in purissimo suo sinu, absque subsidio alicujus patris humani; ipsa est etiam, quæ portavit ipsum brachiis suis versus regionem cordis sui, quam majori amore, quàm proprium suam lac, effudit in ipsum. Quævis, quis contribuerit ad nutritionem Infantis JESU? Vide DEum Patrem, & Spiritum Sanctum, & Beatissimam Virginem, tres fontes nobilissimos tum essentia, tum nutritionis ipsius: DEus Pater dedit & nutriti ipsi suam Deitatem; Spiritus Sanctus dedit & nutriti ipsi suam animam; Sanctissima Virgo dedit & nutriti ipsi suum Corpus. Quam magnifica est mensa tua Domine, & quàm lauta sunt tua fercula? quàm plenæ deliciis tuæ dapes?

Sanctissima  
Virgo dedit  
primò lac  
suum; deinde  
S. Joseph la-  
bores suos  
pro nutriendo  
Infante JESU.

Verum est, quòd postquam amotus est ab uberibus, Beatissimus Josephus fuerit confors gloriæ cum Sanctissimâ Virgine, ut assumeretur ad sublime hoc munus, nutriendi unigenitum Filium DEI: Non parum contribuit ad hoc compluribus annis labore manuum suarum.

O magne Sancte! quantus tibi honor, quo concitentur ad invidiam Angeli! sed quanta admiratio animæ tuæ, dum panem suppeditas ei, qui providentiâ suâ nutrit totum universum! quando videbas crescere paulatim hoc Corpus, quod debebat esse victima pro peccatis totius generis humani; quando advertebas impleri venas ipsius sanguine, quem torrentis in motem effundere debebat ad diluenda nostra crimina, & salvandas nostras animas; quando collocabas ipsum ad mensam tuam, & alloqui poteris ipsum iisdem verbis, quibus allocutus est ipsum Pater cælestis in Majestate gloriæ: *Sede à dextris meis.* Psal. 109. v. 1.  
Veni, mi Fili, sede à latere meo dextro ad mensam meam, tu qui tam lautis excipies me ferculis ad mensam gloriæ tuæ in omnem æternitatem. O DEus! quàm copiosâ dulcedine divinâ replebat cor tuum pro paucillo panis, quem parabas illi manibus tuis!

Sed ut verum fatear, quia omnes creaturæ ingens acceperunt emolumentum ex perfectione magni hujus operis, quod constituabat omnem ipsarum felicitatem & gloriam, credendum est, omnes conspirasse ad suppeditandum illi, quod habebant in thesauris suis exquisitissimum, directas ita & ad hoc institui-

Omnes creaturæ servant  
Infanti Christo JESU.



stitutus à magnâ manu providentiæ DEI, quæ exstimulavit illas omnes, beatas sede existimantes & omni ex parte consecratas si quidquam ex parte suâ contribuissent, quod ipsi poterat esse emolumento. Beata sidera; quæ effudistis in illum vestras maximè benignas influentias! Beate sol, qui lucis tuæ radios, usque ad ipsius evibrâsti oculos! Beata terra, quæ portâsti ipsum sapius, quàm ipsa Sanctissima Virgo, quàm Sanctus Josephus, quàm quævis alia ex omnibus creaturis! Beate aër, qui solus positus es præ-

rogativâ tam sapè ingrediendi in ipsius pectus, & tangendi ipsius cor, ad afferendum ipsi necessarium refrigerium! Beatæ tandem omnes creaturæ, hoc insignitæ favore, ut inservire poterint in aliquo necessitatibus Creatoris sui!

Posthæc Carpophorus conversus ad bonum nostrum Ecclesiasticum, quem magis se versatum credebat in intelligentiâ Sacrarum Scripturarum, proposuit ipsi aliquas quæstiones, vi quarum obstrictus fuit declarare nobis ingentia alia prodigia de Infante JESU, sicut percipietis.

## ARGUMENTUM.

*Animadversiones quædam particulares circa excellentias Infantis JESU,*

### ARTICULUS II.

Cum idem omninò sit Spiritus DEI, qui direxit penam Prophetarum veteris Testamenti, & illam Evangelistarum, unde venit, quod non eadem loquantur ratione? Speciosa legenti occurrunt verba in Vate Isaia, exprimentia clarè Nativitatem, Nomen, & etiam alimentationem promissi Messia: *Ecce Virgo concipiet & pariet Filium; vocabitur Emmanuel, butyrum & mel comendet, ut sciat reprobare malum & eligere bonum.* Unde venit, quod Evangelistæ non

usi fuerint eisdem verbis? Unde est, quòd aliud imponatur nomen Infanti, quando octavo circumciditur die? Unde oritur, quòd nulla ab his fiat mentio, quid comederit, sicut annotatum est à Prophetâ! Nonne tibi videtur, omnia hæc fuisse necessaria ad declarandam executionem vaticinii in hoc, quem nos agnoscimus velut Messiam?

Nonne vides, respondit Ecclesiasticus, quòd Prophetæ locuti sint velut Prophetæ, id est in figuris; quodque sub verbis,

Rr 3      quæ

Isa. 7.

Concordan-  
tur Prophetæ  
& Evangeli-  
stæ circa no-  
men & ali-  
mentationem  
Infantis JESU.

Isa. 7.

Isa. 9.

Jerem. 23.

Zachar. 3.

quæ dixerunt, semper fuerit absconditus alius sensus, quem Evangelistæ expresserunt simpliciter, absque eo, quod uterentur aliquâ figurâ. Quot diversa reperire est nomina, quæ tribuuntur Messia à Prophetis? Isaïas vocat ipsum *Emmanuel*: ab eodem vocatur *Admirabilis, consiliarius, Deus fortis Pater futuri sæculi, Princeps pacis* à Jeremia nominatur *Dominus Justus noster*; à Zacharia nuncupatur *servus oriens*. Omnia hæc nomina profectò conveniunt ipsi, quia quodlibet ipsorum exprimit aliquam ipsi congruam prærogativam & excellentiam; sed ipsa non erant, nisi quasi figuræ, quarum veritas manifestè refulget in solo nomine JESU.

Effectus ingeniosus Optices pro gloria Cardinalis Richelii,

Assentator quidam, probè gnarus, viros magnos avides esse honoris, placere volens magno cuidam Cardinali & Ministro regio, penicillo curavit exprimi totum Collegium Cardinalium, quemlibet ad vivum; sed ita dispositos secundum regulas optices, ut si quis oculos suos ferret in certum quoddam punctum aspectus, omnes disparerent, quin vel unicus ex illis in particulari discerni posset, & omnes ipsorum species sese unirent, ad representandum exactissimè solam faciem magni hujus Cardinalis, cui hæc inventionem blandiri volebat; vel quòd splendor ipsius

gloriæ omnes offuscaret alios, vel quòd omnium Eminentiarum perfectiones fundendæ forent in unum ad componendum virum ipsi similem. Hæc ingeniosa erat vanitas, ad oblectandum hominem cupidum gloriæ.

Sed magna est veritas, quòd omnia hæc diversa nomina à Prophetis Messia, quem expectabant, imposta, non sint nisi quædam penicilli lineamenta ultrò citroque projecta, ad exprimendum ipsorum unione adorandum, quo insignitur, nomen JESU: siquidem hoc solum includit illa omnia, imò & transcendit in excellentiâ, in dulcedine, in virtute, in majestate, cum sit velut spiritus & quinta essentia omnium eorum, quæ Prophetæ de ipso dicere voluerunt per omnes hos diversos titulos, quibus adornarunt ipsum. *Emmanuel* significat *Nobiscum DEUS*. JESUS vult dicere quid amplius: siquidem exprimit, quòd DEUS nobiscum, & nos cum Deo; significat enim ineffabilem unionem naturæ divinæ cum humana, & naturæ humanæ cum divina. JESUS dicit quid amplius, quàm *Admirabilis*, quia dicit Deum adorandum; dicit quid amplius, quàm *Consiliarius*, quia dicit infinitam sapientiam Dei Patris; dicit quid amplius, quàm *DENS*, quia dicit Deum Hominem; dicit quid amplius, quàm *fortis*, quia

Omnia aug-  
sta nomina  
veteri Testa-  
mento Messie  
attributa,  
complectitur  
solum & uni-  
cum nomen  
JESU.

Qu  
int  
du  
di  
ty  
e

quia dicit virtutem omnipotentem Dei; dicit quid amplius, quam *Pater futuri saeculi*; quia dicit Deum æternum, qui nec præteritum habet, nec futurum; dicit quid amplius, quam *Princeps pacis*, quia ipse est pax nostra, & nostra reconciliatio cum DEO Patre suo; dicit quid amplius, quam *Dominus justus noster*, quia ipse est nostra iustitia & sanctitas infinita; dicit denique quid amplius, quam *Vir oriens*, quia dicit Deum æternum, qui oriri & nasci voluit inter nos, amore nostri. Sic Augustum hoc nomen non tantum complectitur in seipso, sed longè transgreditur omnia alia nomina à Prophetis ipsi imposita.

Quomodo intelligendum sit, quod dicitur: Butyrum & mel comedet.

Quòd autem concernit butyrum & mel, de quo loquitur Isaias, tunc Prophetam illum esse, qui loquitur, adeoque non loqui, nisi figuras. Quamvis enim verum sit, quod cum Infans Jesus natus sit in terrâ promissionis, quæ fluebat melle & lacte, sicut dicit scriptura, omnesque Hebræorum infantes more usitato nutrèrentur ejusmodi alimentis, quæ dulcia sunt & facilia, quocunque habebant abundantiam, bene judicari possit, divinum hunc Infantem, his quoque nutritum fuisse: nihilominus credendum est, Spiritum Sanctum, qui verba dabat Prophetis, ipsi non inspiratum

fuisse particularem hanc venturi Messiae notam, nisi Mysterium quoddam & sublimiorem quandam intelligentiam sub his verbis voluisset absconditam, Sancti Patres hæc considerantes in diversas abièrè sententias, qui nihilominus in hoc conveniunt omnes, quod lateat sub his symbolum admirabilis bonitatis & clementiæ Christi Jesu.

Verùm si mihi dicere liceat, quid sentiam, considero, butyrum esse balsamum naturale, compositum è pluribus herbis degestis ab animali, quod destinatum est ad laborem, quodque denique devovetur morti, ut vivere faciat homines, nutriendò ipsos carne suâ & fortassis hoc balsamum, ab hoc animali nobis præparatum, citra id, quod ipsum illo unquam vescatur, quodque totum in nostros est usus, significat labores pœnosæ & operosæ vitæ Christi Jesu, è quibus nobis conficit summè & infinitâ ratione pretiosum meritorum suorum balsamum, compositum è pluribus afflictionibus ac doloribus, quam numerentur herbæ & gramina super terram, quodque totum integrum devovet nobis, quin unquam vel minimum ex eo pro se retineat: Et idèò Propheeta hæc voluit adjicere verba, ad declarandum divini hujus balsami effectum: *Ut sicut reprobare* Isa. 7. v. 15.

malum & eligere bonum. Nonne enim hoc est, ex quo facere debeat reprobationem malorum & electionem bonorum, juxta quod bene vel male usi fuerint meritis Redemptoris, quando acerrime exprobrabit illis: *Quid debui facere pro salute vestra, & non feci?*

Intelligentiã  
mystica mel-  
lis.

Et eadem ratione mel est aliud naturæ balsamum, sed confectum ab apibus, quæ sunt quasi inter animalia, quod Angeli inter creaturas: siquidem ipsæ puræ omnino sunt & Virgines, cum plerique Naturæ arcanorum investigatores teneant, ipsas carere sexûs diversitate. Ipsæ sunt ferè semper elevatae à terrâ, & escae vivunt non nisi lautissimâ, & si ita loqui licet, spiritu florum, è quibus componunt mel suum. Ipsæ ex hoc non tantum nutriunt seipsas, sed nutrimenti sui etiam nos faciunt participes. Videtur hoc admodum bene nobis ponere ob oculos delicias vitæ contemplativæ Christi Jesu, qui non vivebat nisi ex deliciis cœli, in medio amaritudinum terræ, ex aspectu adorandarum perfectionum DEI Patris sui, quas visitavit velut tot flores paradisi æterni, è quibus mirificam hanc extrahebat suavitatem, quæ vitæ suæ beatæ erat constitutiva. Non est hujus balsami sicut prioris ratio: nam qui hoc componit, etiam ex eo se nutrit; insuper dulcedinem ipsius

communicat omnibus animabus puris, abstractis à terrâ & contemplationi addictis.

Impossibile est, formare animam sibi idæam ineffabilis hujus dulcedinis, ad declarandum illam aliis; oportet hanc ipsam didicisse experientiã; ipsa ex hæc plura addiscit in momento quando placuerit Deo vel minimum quid porrigere degustandum ipsi è lautissimis his mensæ suæ dapibus, quàm omnes simul homines circa hoc ipsam edocere possent. Verum non fruitur ipsa impunè hoc favore, oportet enim ex hoc spoliari ipsam vitâ & mottem tolerare, sicut Jonathas, qui dixit: *Gustavi paululum mellis, & ecce morior.* Mors hæc est vitæ mundanæ, mors hæc est vitæ sensuum, mors hæc est vitæ naturæ. Anima vivere amplius non posset nisi vitâ divinâ, quando concepit id quid hoc sit. Plures speciali afficiuntur devotione erga Infantem Jesum; & verum est, abundare hanc deliciis, quibus facultas sit omnes lucrandi & alliciendi animas, quæ non carent omni benignitatis & amoris sensa: sed oportet ipsos probè considerare, quibus excipiendi sint dapibus, butyro nempe & melle nec enim separari debet unum ab altero, quorum quidem illud totum est in laboribus & afflictionibus, hoc autem totum in quiete & dulce-

Deus gustandum porrigit bonis animabus butyrum & mel infantis Jesu.

I. Reg. 14.  
v. 43.

dulcedine; quod inquit, mortificationem & orationem non separari à se invicem in animâ, solidæ devotioni operam navante.

Galenus lib.  
10. de Medic.  
Simpl. cap. 10.

Probè novi, suaderi à Medicis usum mellis pro infantibus, dicunt enim hujus virtute, ipsos præservari à certis quibusdam parvis infirmitatibus, quibus subjiciuntur. Hinc aliqui crediderunt, sumendum esse literaliter illud Isaïæ dicentis de Messia, butyrum & mel comedet; sed absque ratione. Non indigebat medicamentis Infans Jesus, quia tam bonæ erat constitutionis corporalis, ut nunquam affectus fuerit aliquâ infirmitate, sicut affirmat S. Thomas cum aliis.

D. Thom. 3.  
p. q. 14. a 4.

Cur Jesus  
Christus non  
fuerit sub-  
jectus infir-  
mitatibus.

Quare non, reponit Carphorus, cum ideò venerit, ut nostras assumeret infirmitates, quæ peccatorum nostrorum quibus onerari voluit, pænæ sunt ac supplicia? Cumque tolerare potuerit mortem, cur non eadem ratione infirmitates mortis prodromos?

Mirabile est quidem, respondit Ecclesiasticus, quòd, cum mori posset, tolerare nullam potuerit infirmitatem. Sed perfecta constitutio corporis ipsius disposuit ipsum ad sufferendos dolores infirmitatis, & magnitudo peccatorum nostrorum condemnabat ipsum ad subeundam mortem. Sanè non debue-

rat nec infirmari nec mori, si sistatur in terminis condemnationis à Deo contra Adam pronuntiata, eoquòd infinita ratione fuerit alienus ab omni peccato ipsum ad mortem condemnante. Sed ultra hoc sacrum ipsius corpus habuit tria privilegia admiranda quorum virtute perpetuò solutus fuit à lege incurrendi mortem & infirmitates.

Primum est, quod licet induerit carnem ejusdem speciei cum carne Adæ, nihilominus hæc ejusdem non fuerit conditionis cum carne Adæ peccatoris, sed Adæ adhuc existentis in statu innocentia, antequam sententia mortis fuerit pronuntiata in ipsum. Secundum est, quod ipsius corpus non fuerit opus naturæ, sed exquisitissimum opus omninò prodigiosum omnipotentis manûs Dei, productum ex operatione Spiritûs Sancti, in purissimo sinu Virgineæ Matris suæ; unde & eximi debebat ab omni lege naturæ. Et tertium, quod præcipuum est, habuit id jus particulare ad immortalitatem & impassibilitatem, cum animatum fuerit animâ beatâ, quæ juxta legem consuetam communicare illi debuerat gloriam suam, sicut omnia corpora beatorum post resurrectionem universalem in partem venient gloriæ animarum suarum, adeo-

Tria egregia  
privilegia  
corporis Jesu  
Christi.

S: que

que non fiebat absque miraculo continuo, quod Deus suspende-  
rit hanc gloriam corporis ado-  
randi Salvatoris, ut illi relinque-  
ret facultatem tolerandi dolores  
& mortem pro nostrâ salute.

Desideria no-  
stra opprita  
sunt illis Chri-  
sti Jesu ad  
confusionem  
nostram.

O Jesu! quàm male repen-  
dimus maximam hanc incom-  
parabilis amoris tui abundan-  
tiam! nos patremus miracula,  
si facultas nobis foret, ad exi-  
mendos nos, ne pateremur pro  
te: Tu es innocentia ipsa, & tu  
vis pati? Ego enormibus ob-  
noxius sum criminibus, & ego  
pati nolo? Tu sanctitas infini-

ta, tu Deus immortalis, tu gau-  
dium Angelorum vis pati pro  
me misero terræ vermiculo, quia  
amas me? Et ego sceleratus, ego  
millenas promeritus mortes, nil  
pati volo pro te, Deo meo, crea-  
tore meo, & Redemptore meo  
quia non amo te. Ah! unde est,  
mi Deus, quod non amem te,  
nisi quia non novite! quicumque  
enim novit te, etiam amat te;  
obliviscitur sui ipsius, ut non  
cogitet nisi de te, ut non amet,  
nisi te. O mi Jesu, noverim te,  
ut amem te, ut amem affligi &  
pati pro te!

## ARGUMENTUM.

*Jesus in Ægypto, quid ibi fecerit, & quando ex  
illâ rediêrit?*

### ARTICULUS III.

**A**N fugis, divine Redemptor?  
Credebam, te in fugam actu-  
rum inimicos tuos, vel prostratu-  
rum illos ad pedes tuos, ut tuam  
implorent misericordiam. Et  
tu fugis, & terga vertis Herodi,  
abscondis te in Ægypto, ut fu-  
rorem, evadas hujus tygridis  
cruorem sitientis. Nonne tot  
milliones Angelorum ad tuum  
expeditos habes obsequium, quo-  
rum minimus sufficeret ad do-  
lendum totum exercitum?

Quare Chri-  
stus fugerit  
in Ægyptum.

Mirandum non est, inquit  
Carpophorus; intelligo, fugam  
ipsi tunc fuisse necessariam, ut

subtraheret se furibundæ huic  
tempestati mox submersuræ tot  
innocuos parvos infantes. Non  
fugiebat mortem, qui eo nomi-  
ne descenderat è cœlo in terram,  
quique ardenti succendebatur  
desiderio tolerandi mortem pro  
nobis. Sed ex unâ parte expe-  
diens non erat, ut suam daret  
pro hominibus vitam, antequàm  
ipsis suam tradidisset doctrinam;  
oportebat prius instruere mun-  
dum, quàm moreretur pro mun-  
do. Et ex alterâ parte, si suam  
demonstrâisset gloriam ad salvan-  
dum suam vitam, suos delens  
per-

persecutores omnipotentis brachii sui virtute, animos hominum percelluisset terrore, qui obstaculum iniecisset consilio, quod conceperat moriendi pro nobis. Sed quanta alia includit hæc fuga in se mysteria, quæ nostram effugiunt cognitionem?

*Fuge dilecte mi.* Fuge amabilissime mi Salvator. Docebis me exemplo tuo, quod primus gressus, quem formare oporteat ad sequendum & imitantum te, sit fugere malum, & subtrahere se mundo. Fuge & absconde te illis, qui perverso quærunt & inquirunt te animo. Docebis me, quod non inveniari, nisi inquiraris, corde sincero ac fideli, qui non quærit te, nisi propter se, & propria sua commoda, non inveniet te. Fuge in regionem, quæ non est illa Nativitatis tuæ, desere cognationem tuam, & cunctos populares tuos, ut concedas eò, quò te vocant divini Patris tui decreta. Docebis me, non esse patriam nec cognationem in terrâ pro eo, qui solus voluerit esse tuus, patriam ipsius esse cœlum, cognationem ipsius esse Patrem cœlestem, Angelos & omnes Beatos, omniaque mundi loca pari ratione ipsius esse exilium, ubi aliud non faciat, nisi quod appetat efflicti liberacionem suam, ubi expectet ardenti cum desiderio libertatem eundi in regionem ac patriam

suam. Sed quare potius in Ægyptum, quàm in Syriam, vel in aliam mundi regionem?

Erant rationes urgentes, quæ trahere poterant ipsum potius huc, quàm aliò, respondit Ecclesiasticus. Prima & magis propria est, quòd Ægyptus vicina sit Judææ, quodque ipsa libera tunc esset à dominio Herodis; hinc est, quod serviret Judæis pro consueto asylo afflictis persecutione in regione suâ. Secunda quæ tota erat congrua Infanti Jesu, est, quod Abraham, Isaac & Jacob, omnes alii Patriarchæ, majores sui, habitaverint ibi cum omnibus filiis Israël ducentorum spatii annorum. Et quando apparuit Moyse in rubo ardenti, ubi ignis adhærens spinis, quas non comburebat, erat figura mysterii Incarnationis, sicut alibi diximus; hoc fuit, ut promitteret ipsi, se descensurum, ut liberaret populum suum à tyrannide Pharaonis, à quo captivus tenebatur in Ægypto. Tertia, quod ibidem demonstraverit figuram magis expressam sacrificii sui, magisque evidentem imaginem, declarantem robur ac virtutem pretiosi sanguinis sui, quando nimirum Angelus exterminator missus à Deo ad occidendos omnes primogenitos Ægypti, pepercerit filiis Hebræorum, eoquod ipsorum postes aspersos invenerit sanguine Agni

Quatuor rationes, cur Christus potius fugerit in Ægyptum, quàm aliò.

Vide consult. 5. art. 5.

Pulchra documenta è fuga Jesu Christi in Ægyptum deducta.

Paschalis, tanquam figuræ Christi Jesu, qui verus est Agnus Dei tollens peccata mundi.

*Ægyptus erat pars mundi magis infirma; cui propterea Christus primò succurrit.*

Quarta est ratio vehementius impellens ac movens cor ipsius. Ægyptus erat regnum magis immersum impietati sub falso pietatis zelo; Oppositi hâc in parte Atheis, nullam prorsus admittentibus divinitatem, tam vastis ac amplis ardebant desideriis amplectendi omnia divinitatum genera, ut non solum adorarent omnia aliarum nationum idola, sed in singulas ferè horas fabricarentur sibi ingentem novorum Deorum numerum, eorumque tam ridiculorum, ut non abhorrerent, nec erubescerent supremis prosequi honoribus canes, feles, crocodilos, vitulos, hircos, morbos, plantas, usque ad cepas; denique ex rebus quibusque despectissimis effinxerunt sibi adoratione dignos, ex immoderato desiderio adorandi divinitatem. Quàm deploranda hæc cœcitas sat habens capacitatis excitandi ad compassionem mundi Salvatorem! Nonne tibi videtur, magnum hunc medicum succurrere voluisse primò, ubi major occurrebat necessitas, ibique apponere remedium, ubi majoris infirmitatis aspiciebat incrementum. Sic S. Hieronymus asserit plurima idola subversa fuisse in totâ Ægypto ad introitum In-

*S. Hieronymus.*

fantis Jesu, inhærens textui Isaia: *Ingredietur Ægyptum, & commovebuntur simulacra à facie ejus.* *Isa. 10.*

Quis diffitebitur, esse prodigium, videre, quâ ratione hoc regnum, alias omnibus superstitionibus magis addictum, ex cætera omnia superaverit puritate suæ fidei, & veræ religionis zelo, eoque quod ex omnibus primò honoratum fuerit præsentia Salvatoris mundi? siquidem refulgere ibi est visa admiranda sanctitas Antoniorum, Paulorum, Macariorum, compluriumque legionum sanctorum Anachoretarum, quorum vitæ consignari calamo meruerunt à Magnis Ecclesiæ Doctores, S. Hieronymo, S. Athanasio, Sophronio & pluribus aliis. Hinc S. Chrysostomus dicere non est veritus, non majori resplendere decore Firmamentum, quando astrorum suorum condecoratur fulgore, quàm resplenderit Ægyptus oculis Angelorum in cœlo ob multitudinem & varietatem Monasteriorum, quorum inquilini sanctitate conspicui, tot visibilibus referebant speciem Angelorum. Olim Trismegistus relatus à S. Augustino dicebat de Ægypto: Ægyptus cœli imago, & totius mundi templum. Nonne tibi videtur hoc fuisse Vaticinium?

*Ægyptus est primus paradisus Ecclesiæ Christi-  
na.*

*S. Chrysostomus  
hom. 2. in  
Matth.*

*S. Aug. de  
civit. lib. 2.  
cap. 14.*

Sed



Quamdiu JE-  
sus manserit  
in Aegypto,

Sed Infans IESUS an longo tem-  
pore manebit in Aegypto? Opi-  
niones Auctorum admodum  
variant hâc in re. Baronius cre-  
dit, ipsum mansisse ibi novem  
annis. Ammonius, quem sequi-  
tur S. Antonius, tenet, ipsum ibi  
substiisse septem annis; alii  
quinque duntaxat annorum fa-  
ciunt mentionem. Sed verifimi-  
lis est, quod asserunt S. Epipha-  
nius & Nicephorus, ipsum non  
mansisse ibi, nisi circiter duobus  
annis, cujus satis plausibilem as-  
serunt rationem: siquidem cer-  
tum est, divinum hunc Infan-  
tem non fuisse illuc deportatum,  
nisi ad summum uno anno an-  
te obitum Herodis, quem is non  
supervixit amplius ab excidio  
parvulorum Innocentium, uti  
observant omnes Auctores, qui  
exarârunt tragicum ac infelicem  
ipsum finem. Et quamprimùm  
post hanc mortem admonuit  
Angelus S. Iosephum, ut repor-  
taret puerum in terram Israël,  
sicut scribitur in Evangelio S.  
Matthæi, qui adjungit, quod  
Sanctus Ioseph edoctus, Ar-  
chelaum regnare post mortem  
Herodis Patris sui, timuerit il-  
luc ire, illucque portare puerum.  
ne experiri contingeret aliquas  
adhuc reliquias crudelitatis Pa-  
tris in Personâ sui Filii: quo cla-  
rè innuitur, regnum Archelai  
adhuc quid novum fuisse, quia  
S. Ioseph hoc expertus non est,

nisi in reditu suo ex Aegypto,  
ubi novum hoc regnum non-  
dum erat cognitum. Cùm igitur  
verum sit, Infantem IESUM  
non ingressum esse Aegyptum,  
nisi circa finem vitæ Herodis,  
ipsumque inde exiisse ab initio  
regni Archelai illi succedentis;  
manifestè constat, illum diutius  
ibi commorari non potuisse, nisi  
duobus, vel ad summum tribus  
annis.

Redux & Aegypto non con-  
cessit in Judæam, ubi regnabat  
Archelaus, non minùs successor  
crudelitatis, quàm plerumque  
ditionum Herodis scelerati: Sed  
deportatur in Galilæam, quæ  
dependebat ab Herode Antipa,  
fratre ejus, paulò minùs crudeli,  
quàm ipse. Et habitavit in Na-  
zareth, quæ parva est civitas,  
jucundissima tamen ob com-  
modam situationem & amceni-  
tatem climatis, illustrissima ad  
hæc reddita præ omnibus mun-  
di civitatibus, ob inquilinorum  
suorum honorem & gloriam.  
Ecce quomodo Adrichomicus de  
ipsâ loquatur in descriptione ter-  
ræ sanctæ.

Nazareth, quod interpretatur flos,  
pulchra ac florens Galilææ civitas est,  
Capharnaum Urbi subjacens, edificata  
super montem, quem corona instar  
ambit, duâbus leucis à monte Thabor,  
trium autem dierum itinere ab Jeru-  
salem distans. Hic Beata Maria,  
candens flos Virginum, nata est;

S. Epiphan.  
hæres. 78.  
Niceph. L. I.  
cap. 14.

Matth. 2.

Hic Christus Dominus noster & Salvator, gloria & corona nostra; ut flos campi (inquit Hieronymus) nasceretur in flore virtutum, conceptus & educatus est, ac viginti quatuor annis habitavit. Unde & civitas hac civitas sua, & patria sua, ipse vero Nazarenus, seu Nazareus & Galilaus appellatus est. Sed & nos, qui nunc à Christo Christiani, apud veteres quasi opprobrio à Nazaræo Nazarai, & à Galilæo Galilæi dicebamur.

Nazareth  
gloriosior  
Româ,

O beata civitas, anteponenda Romæ, & Constantinopoli, & Jerosolymæ, & quibusvis celeberrimis civitatibus mundi! O civitas cælo æquiparanda Emphyreo, cum supremus Monarcha mundi elegerit ipsam, ad figendum in eâ suum habitaculum! O millies beata domuncula Nazarethica, quam suâ honorârunt præsentia omnes supremæ Majestates cæli & terræ! O quanta gloria, angusto suò ambitu conclusisse maximè Augustum Filium Unigenitum Dei vivi, quem scriptura appellat Regem Regum & Dominum Dominantium, qui solus habeat immortalitatem; Sanctissimam Virginem, Reginam Angelorum, Matrem Omnipotentis hujus Monarchæ; S. Josephum omnium Patriarcharum veteris Testamenti gloriam; Sanctum Joachim & Sanctam Annam, illustrissimos Sanctissimæ Virginis parentes.

Ubi es, sancte Rex David,

qui tam copiosam præparâsti materiam, tam abundantes convocâsti divitias, conquestus adhuc de paupertate tuâ, dum revolvebas animo, rem agi de ædificando palatio pro infinitâ Majestate DEI? Ubi es, magne Rex Salomon, qui pia Regis patris tui executus consilia, extruxisti magnificentum hoc Templum, quod censendum est cunctis mundi prodigiis eripere palmam? si cælum mandatum vobis dedit præparandi habitationem congruam pro tot verticibus coronatis; an tota sapientiæ vestræ amplitudo, tantæ fuit amplitudinis, ut invenire & excogitare potuerit conclavia satis splendida, satis lauta, ad excipiendum dignè omnes illorum personas, cum omni apparatu, quem suprema ipsorum requirant dignitas?

Et nihilominus, o sapientia infinita Dei! quam attolluntur cogitationes tuæ supra cogitationes hominum? Conspicitur adhuc hodie sancta hæc domus Nazarethica, & ipsa conspicitur esse paupertas; Tempus, quod consumit & devorat omnia; non intermissa mundi revolutio, quæ subvertit & solo adæquat civitates, imperia, potentissimorum regum folia, & omnia sæculorum curricula, cesarunt nunquam sanctum hunc locum maximâ prosequi reveren-

Sancta Domus Laurentiana.

rentiâ: ipsa conservata est tota integra, custodita ab Angelis, sapius de loco in locum transportata ab ipsis, & tandem ceu illustre munus consignata Italiae, situata nunc interiorio Ecclesiae Romanae: Et hæc sancta est Domus Lauretana, locus præ omnibus in mundo veneratione dignissimus.

Prodigium  
sanctæ Do-  
mûs Laure-  
tanæ.

Huc accurritur ab omnibus Christiani mundi regionibus, ad usurpandum oculis palatium, quod tota cœlestis curia pro suo usurpavit palatio. Huc omnia coronata capita, sua mittunt & ablegant pignora, vel ipsamet concedunt illuc in persona, ut sua præstent homagia Majestati DEI immortalis, qui hunc locum corporali suâ honoravit præsentia. Hic continuus peregrinorum videtur affluxus, quos devotio è longinquo attractos rapit & volare facit præ gaudio, dum accedunt propius: O Deus! quando ipsius frontispicio characteribus aureis inscripta intuentur magna hæc verba: *Hæc Verbum caro factum est; fides vacillans plurimum, firmatur solidissime in credendo Incarnationis mysterium.* Et quando cum reverentia divinum hoc ingrediuntur sanctuarium, nemo tam omnis est expers sensus, quin experiatur vim ac robur verborum Angeli, *Gratiâ plena; siquidem continuo tanta diffunditur*

gratiæ plenitudo, ut non sit cor adeò durum, quod non emolliatur, nec adeò inhumanum, quod non moveatur, nec adeò frigidum quod non dissolvatur in dulcedinem ac devotionem.

O mi chare Carpophore, nemo id potest capere, nisi ipsam Magistram habuerit experientiam. Quam censeo obstructum me Deo, dum fors mihi obtigit invisendi sapius sacratissimum hoc Tabernaculum DEI cum hominibus, iteratis ibi vicibus divinum litandi Deo sacrificium & aspiciendi in meis nasci manibus eundem Jesum Christum, quem Sanctissima Virgo in purissimo suo concepit utero, eodem in loco, ubi ineffabile hoc adimpletum est mysterium! quam me æstimo beatum, dum aliquoties licuit mihi Altari ipsius exigua mea præstare obsequia, purgando scopis ejusdem pulverem divitiis regum terræ longè pretiosorem! O quam affirmatur verè, inusitatarum gratiarum abundantia diffuere hunc locum! Quamvis enim verum sit, cor meum durius esse ære, & omni solidius marmore, ita illud sentiebam emollitum, ut abstinere non potuerim à lachrymis, videndo parvum hunc locum, qui non plures quam viginti quatuor complectitur pedes in longitudine, & quindecim

Gloria Sancti  
facelli Lau-  
retani.

cim vel sedecim in latitudine, semper adornatum esse quadraginta circiter lampadibus, aliis ex auro, aliis ex argento, ardentibus dies noctesque, velut homagia à summis Principibus totius Reipublicæ Christianæ appensa. Dum publica devotio, quâ nunquam non sacrum hoc repletur fanum, non in vanum millena versùs Deum ejaculabatur suspiria, abreptum me sentiebam gaudio. O divine JESU! O Maria! quàm æquum est cælum & terram convenire, ad exhibendum tibi hic homagium ac tesseram fidelitatis!

Libenter effudissem cor meum in votum non absimile voto Petri in vertice Thaboræ: mi Deus, quàm bonum est nos hic esse! abeamus hinc nunquam. Quâ ratione, mi ama-

bilis JESU, quâ ratione ô Sancta Virgo deserere quis possit domum vestram? Si corpus meum exire hâc æde cogitur, tolerabo nunquam, ut separetur ab eâ cor meum; sed desidero affixum id manere in medio lampadum, ad arandum ibi semper igne divini amoris tui, noctes diesque usque ad finem sæculi. Sed super omnia ipsius hic exopto præsentiam, ut id solum elicere contendat omnes actus adorationis, laudis, gratitudinis & amoris Dei, quos elicient omnes bonæ animæ sacrum hunc locum accessuræ, usque dum sæculorum accedat meta.

Carpophorus devotione piis hujus Ecclesiastici extimulatus, alia bona concepit desideria. Et ecce quâ ratione exposuerit illa.

## ARGUMENTUM.

*Infans JESUS perditus, & exin post tres dies in templo inventus, ubi loqui videtur aliquantò severius Matri suæ.*

### ARTICULUS IV.

QUAM durum est cunctis animabus amanti-  
bus Christum JESUM, privari cognitione eorum omnium, quæ dixit vel fecit tempore suæ infantia! Nam si verum est, quod à momento, quo DEUS locutus est juveni Samueli, illumque replevit Pro-

phetiæ spiritu, tam pretiosa fuerint ipsius verba, ut nec unicum abire in vanum fuerit permilsum; *Et non cecidit & omnibus verbis ejus in terram:* quantò magis nec minimum quid concernens Christum JESUM dimittendum est incalsum, cum infinitâ ra-  
tione

I. Reg. 3.

tione is major & excellentior sit Samuele? certum namque est, ipsum nec unicam confecisse oppellam, nec minimum protulisse verbum, aut verbi apicem, qui aureis literis non mereatur exarari. Nihilominus omnes hæ pretiosæ notiæ, quæ inscriptæ & consignatæ sunt magno volumini consiliorum Dei, amissæ sunt pro nobis & profundâ ignorantia tumulatæ.

Fauca nobis  
constant de  
Infantia Sal-  
uatoris.

Iren. l. I. c. 17.

Verum quidem est, conspectum olim fuisse librum, cui titulus: *De Infantia Salvatoris*. Credendum quoque est, ipsum continuisse quidpiam veri; Nam quæ verisimilitudo, totum aliquem librum meris constare mendaciis) sed quia scatebat plurimis rebus commentitiis, quibus Hæretici, & præcipue Valentiniani, id observante S. Irenæo, utebantur ad oppugnandam fidem, & lacessendum inimicis Jesum Christum, Ecclesia velut apocryphum & fide indignum reprobavit ipsum. Eheu! si Deus permisisset, ut purgaretur potius & conservaretur id, quod complectebatur verum! Ingenti enim nobis est fastidio, nec minimam partem vitæ Salvatoris nostri constare nobis.

Luc. 2.

Sed nonne habemus in Evangelio, reponit Ecclesiasticus, magnum illud facinus, quod exantlavit in templo anno ætatis duodecimo? Præcipiebat lex He-

bræis, ut singulis annis concederent Jerosolymam celebraturi ibidem Festum Paschale, solemnitas totâ producebatur hebdomade, & melior diei pars agebatur in templo, ubi laici remanebant ad porticum, viri separati à mulieribus. Circa finem octavæ Sanctissima Virgo, quæ nunquam à latere suo dimittebat divinum Infantem suum, quem propriâ plus diligebat vitâ, tam profundè absorpta fuit in oratione in DEum, ut non adverterit, quando & quomodo deferta fuerit ab ipso: reversa ad se ab extasi, ipsumque: penes se non inveniens, ereditit ipsum esse cum sancto Joseph: solent enim infantes modò matri, modò adesse patri. Sed finitâ remoniâ cum iterum convenissent sanctissima Virgo & S. Joseph, neutri, ubi moraretur Infans, constabat; facile tamen sibi persuadebant, ipsum fore inter cognatos & notos, ob ingentem amorem, quo hi prosequerentur ipsum, & suas in conversatione cum ipso capiebant delicias, quas & tunc capere credebant redeundo in Nazareth; At confecto die integro in hac cogitatione: Eheu! quam productus videbatur illis hic dies quanta tædia, quanta anxietates, quanta desideria pristino iterum potiundi gaudio, in iteratâ possessione thesauri sui! sed aberant

S. Antonii.  
Epic. hist. tit.  
c. I. §. 5.

Quomodo  
contigerit  
perditi In-  
fantis Jesu  
in templo.

ab eo longius, quàm credebant, sperantes se ipsi appropinquare, sed fugiebant ab ipso.

Anxietates  
Beatissima  
Virginis ob  
amissionem  
Charissimi Fi-  
lii.

Accedente vespere, cum nemo ex totâ esset cognatione, qui ipsius haberet cognitionem, sævillimo cordis in meditullio transfixi dolore, reversi quanto-cyûs maximâ cum festinatione Jerosolymam, requisierunt ipsum ubique, sed labore irritò. Quid agebas miseranda mater? quânam erant sensa cordis tui? quâ amaritudine redundabat anima tua? Nonne tu ipsa & sponsa in sacro Epithalamio ingemiscens & dicens: *Surgam & circuibo civitatem, per vicos & plateas quæram, quem diligit anima mea: quasiivi & non inveni?* Quoties ad ipsumet direxisti verba, ut addisceres ab ipso & de ipso nova? *Indica mihi, quem diligit anima mea, ubi pascas, ubi cubes in meridie.* Instrue me ergò dilecte animæ meæ, ubi invenire te liceat mihi: quò abiisti? tui quis curam gessit? quis tibi tribus, quibus abes, diebus struxit mensam? nemo est, quem non quæram, & nemo est, qui mihi, ubi sis, valeat indicare.

Sanctissima  
Virgo invenit  
Jesum in  
templo.

Ah! Neutiquam inter cognatos, nec in medio platearum civitatis, nec in familiaritate cum mundo invenitur, quando perditus est Deus. Tu probè id nôsti sanctissima Virgo: Vade in templum, ibi invenies eum

in medio Doctõrum seriis & gravibus vacantem negotiis, utpote quæ divini Patris sui concernant gloriam: Vadit illuc, puerum hunc invenit speciosiorẽ Angelo in medio legis Doctõrum, quos omnes honorabiles veneranda reddebat canities, verisimiliter creditur, ipsos discrepâsse de adventu Messia, cum hæc quæstio fortiter fuerit agitata ex eo tempore, quo Reges Magi nuntiaverant Jerosolymæ, stellam cœli nuntiâsse sibi ipsius Nativitatem: Proponebat ipsis quæstiones valde prudentes ad addiscendum in speciem mōre alicujus discipuli, sed reverâ docebat eos velut Magister ipsorum: Siquidem juxta mentem Origenis non minor requiritur scientia ad benè interrogandum, quàm ad benè respondendum, sæpiusque tam benè interrogando, quàm respondendo docetur. Hærebant omnes attoniti divina percipiendo oracula ex ore ipsius profecta. *Stupebant super prudentiâ & responsis ejus* Cuncti applaudentes admirabantur, & admirantes applaudebant ipsi.

Origenes

Luc. 2.

Et Sanctissima Virgo geminato accumulata gaudio, tum quod dilectum suum recuperaverit Filium, tum quod conspexerit ipsum gloriâ & honore ab omnibus locupletatum, accessit eundem, ipsumque incredibili amo-

amoris est amplexata affectu. Ah! Charissime mi Fili, vix non vita privavit nos dolor, tuo privatos aspectu & presentia; angore pleni ubique querebamus te; Ecce nos tanta obruere voluisti afflictione? *Fili quid fecisti nobis sic? pater tuus & ego dolentes querebamus te? Quibus verbis dolore & amore plenis reposuit ipse: Quid est, quod me querebatis? nesciebatis, quod in his, qua Patris mei sunt, oportet me esse?*

Sed videtur, inquit Carpophorus, responsum hoc aliquid praeferre severitatis; nec capio, quod videam in Evangelio, ipsum semper rigidiusculo uti cum illa alloquio, quin vel unquam ostendat illi aliquam amoris teneritudinem, vel ullam extollat ipsam laude vel minima. Si quidem hoc in facto, nonne videtur ipsam increpare, impendere ipsi objurgationem non meritam, pro eo quod rependere debuisset ipsi grates ob impensum in quarendo se amorem ac sollicitudinem? Quando admonuit ipsum, deficere vinum invitatis in nuptiali convivio in Cana Galilææ, respondit illi: *Quid mihi & tibi est, mulier? nondum venit hora mea?* Non videmus hoc responsi filialem aliquem prodere vel continere affectum, cum ne quidem dignetur compellare ipsam Matris nomine.

Quando fuit quæsitus ab ipsa, ut loqueretur illi, dum disseminaret Verbum Dei, sicut refertur duodecimo capite S. Matthæi, non solum renuit ipsi loqui; sed ferenti nuntium; Ecce mater tua & fratres tui, foris stant, quærentes te; respondit: *Quæ est mater mea, & qui sunt fratres mei?* Et extendens manum suam in discipulos suos, dixit: *Ecce mater mea, & fratres mei!* Quicumque enim fecerit voluntatem Patris mei, qui in cælis est, ipse meus frater, & soror & mater est. Non magis sanè æstimare, nec ardentius amare videtur matrem suam, cum ipsam omnino proponat peregrinis & extraneis.

Cum aliquando aliqua scemina altum exclamasset in plenam audientium coronam, tota extra se abrepta admirabili ipsius concione, illique diceret: *Beatus venter, qui te portavit;* mox ipsi respondit: *Dic potius; Besti quæ audiunt Verbum DEI & custodiunt illud.* Tandem constitutus in extremis, iamiam expiraturus in cruce, ubi debebat, sicut videtur, commiserationis in ipsam moveri sensu, cum videret ipsam præ compassionem fatiscentem & vix non emorientem ex aspectu tormentorum suorum, aliud non fecit, nisi quod commendaverit ipsam sancto Joanni, & vicissim hunc ipsi;

T t 2      dicen-

Luc. 2.

Matth. 12.

Videtur Jesus  
severius ha-  
buisse Ma-  
trem suam.  
pluribus in  
locis.

Luc. II. v. 27.

Joan. 2.

dicendo. *Mulier, ecce Filius tuus!* ubi denuò privavit ipsam solatio, quod ex Matris haurire poterat compellatione, saltem in extremâ hâc occasione. Nonne tibi videtur, quod consulto semper duriusculum sese exhibuerit ipsi? *Quis comprehendere possit tam inusitatum agendi modum talis Filii cum tali matre?*

Fateor, respondit Ecclesiasticus, *ciere hoc primâ fronte admirationem; quam autem exues, si consideres verum amorem non consistere in verbis, sed in operibus, juxta egregium illud dilecti Discipuli effatum:*

*Non est creatura, quod tanto honore affecerit Christus sicut sanctissimam Virginem,*

*I. Joan. 3. v. 18.*

*Non diligamus verbo, neque linguâ, sed opere & veritate.* Aspice admiranda opera, stupenda facinora, quâ Christus JESUS exantlavit pro sancta matre suâ, & affirmabis, ipsum solam plus amari ab illo, quam omnes creaturæ simul. 1. Quod prædestinaverit ipsam ad dignitatem maximam, quâ insignire possit puram creaturam, eligendo ipsam in Matrem suam. 2. Quod præservaverit ipsam à peccato originali, prærogativâ omninò inusitatâ, quæ non conveniat, nisi ipsi soli. 3. Quod conservaverit puritatem ipsius Virginalem unâ cum Maternitate, invertendo per hoc omnes naturæ leges. 4. Quod non permiserit ipsam labi in minimum

peccatum veniale. 5. Quod repleverit ipsam eâdem plenitudine gratiæ, quam complectebatur in seipso, quamquam aliter, ubi loquitur S. Hieronymus. 6. Quod denique se reddere voluerit ipsi subditum, ipsâque inferiorem, ac vivere sub ipsius obedientiâ, ut conferret ipsi supremum gloriæ solium in cœlis. Ex magnis hisce effectibus colligere & deducere oportet affectus amoris, quo persecutus est ipsam: quibus perspectis impossibile est, quin videas, nunquam & nusquam tam perfectum fuisse amorem filii erga matrem suam.

Et unde ergò venit, replicat Carpophorus, quod tam paucas & tenues nobis reliquerit notas, tum æstimationis, tum amoris, quo ferebatur in ipsam tempore vitæ suæ mortalis? Tantis exornavit encomiis sanctum Joannem Baptistam: tam evidentia amoris signa exhibuit alteri Joanni suo Discipulo. Nonne æquum fuerat, ut majoribus celebraret elogiis matrem suam, manifestiora monstraret sanctissimæ Genitrici suæ dilectionis signa?

Considera, reponit alter, magnum consilium, quo impulsus &, ut descenderet de cœlo in terram. Primò id erat, ut Patris sui cœlestis promoveret gloriam, omnésque perfecto ipsius suc-

*Pluribus efficacibus rationibus impulerunt Christum, ut aliquam severitatem exteriorem ostenderet erga Beatam Virginem,*



cenderet amore. Secundò ut ædificaret Ecclesiam suam supra naturam, innixam solidis fundamentis gratiæ. Tertio denique, ut procuraret salutem & perfectionem animarum. Jam ut efficaciter tria hæc ingentis momenti consilia ad optatum deduceret effectum, oppugnandus illi erat non solum amor criminalis, sed etiam amor naturalis. Nam sicut certum est, amorem criminalem absolute destruere amorem divinum & salutem animarum; sic certum quoque est, amorem naturalem, dum dominatur in corde, illudque affigit rebus terrenis, absolute obstaculo esse amoris divini & animarum perfectioni. Et dici potest, majorem ratione quadam occurrere difficultatem in oppugnando & vincendo amorem naturalem, qui innocens videtur, quam criminalem qui ex se tantæ deformitatis conspicitur, ut facile sit inducere animo aversionem & honorem ab ipso.

JESUS CHRISTUS ostendere voluit, amorem naturalem non esse, quem exigeret ab animabus bonis,

Hinc Christus JESUS non solummodo suum impendit, & accendit zelum, cuncta objurgandò & increpandò vitia, sed magis judicavit expediens expedire animas à vinculis amoris naturalis, usque adedò ut diceret: *Qui non odit Patrem suum & Matrem suam, non potest meus esse discipulus.* Hic loquendi modus, qui

excessivus nobis videtur, luculenter demonstrat, quam ardentem exoptet & velit immune esse cor nostrum ab his naturalibus erga cognationem & propinquitatem affectibus, quos æque natura inserit animantibus, quam hominibus. Hinc est, quòd Luc. 14. v. 26. omni, qui reliquerit patrem & matrem, fratrem & sororem & reliqua propter se & amore sui, promittat in hæc vitâ centuplum, & in aliâ vitâ æternam. Hinc est, quòd declarat nobis, se non venisse, ut afferet pacem, sed gladium, separandò nimirum patrem à filio, & fratrem à sorore suâ. Verbum ipsius est gladius acutus, qui refecat omnia vincula horum affectuum ad carnem & sanguinem, quæ retinet & constringunt animam in statu puræ naturæ, quæque sunt pondere ita ipsam deprimentia, ut nunquam liberè attollere se possit ad DEUM ad vivendum vitâ divinâ, & assequendum perfectionem amoris DEI.

Sed quia docere voluit homines tam exemplis, quam verbis suis, ipsemet hunc infixit in propria viscera sua gladium, ut loquitur Auctor libri de verâ circumcissione, quia annumeratur operibus S. Hieronymi. Hinc quamvis sanctissimam Matrem suam infinitâ ratione majori prosequeretur amore, quam unquam aliquis filius omnes suos

Docet nos, quâ ratione præferendus sit DEUS con-fanguinacis,

prosecutus fuerit propinquos; & quamvis, cum infinita rationis fuerit perfectus, dominari quidem ipsum permiserit in corde suo, illumque ostenderit in operibus & verbis suis cum tota perfectione, quæ congruebat Deo-Homini; nihilominus nullam illius exhibere voluit demonstrationem extrinsecam, ne exemplo suo approbare & firmare videretur quod condemnabat verbis, neve homines, qui artem non callent transformandi amorem naturalem in amorem perfectum, ansam e bono exemplo male intellecto fumerent, veras suas firmandi & stabiliendi imperfectiones.

Beatissima  
Virgo nove-  
rat sanctam  
intentionem  
Filii.

Quis novit, an divina hæc Mater, quæ non habebat nisi cor & animam unam cum dilectissimo suo Filio, agnoscens animi ipsius arcanum, non æmulata fuerit ipsum in magno hoc consilio reprimendi affectus amoris pure naturalis, ad cendum in corde suo locum affectibus amoris divini & supernaturalis? Et hinc ex parte sua nec minimum quid demonstrationis externæ & sensibilis exhibuit, quod expectari non poterat a tali Matre erga talem Filium. O si sciremus, quantum aspernetur anima perfecta omne id, quod non est nisi effectus & opus naturæ! tantundem quasi, quantum animæ bonæ

vulgares abhorrent peccata majora.

Toleramur, quando increpamus amorem criminalem, cum hic ex seipso sit infamis, ut ipsos sectatores suos suffundat pudore, nec sint nisi bruta, quæ illo non offendantur. Sed reclamant, obsistunt, obloquuntur, crudele id esse, asseverant, non requiri esse æreum, ut aliquis sit sanctus; illos duntaxat, qui in Ecclesiis super altaria sunt sancti, carere sensibus; Hos autem, qui versantur inter homines, sensibus pollere: afferuntur rationes, allegantur intensi amoris sensa deprædicata in pluribus sanctis; quærentur exempla in ipsis etiam brutis, quæ non caruere amore naturali; sub hoc quid lateat mali, interrogatur; an non potius vertendum sit probro, si dicatur de aliquo, nil habere illum propensionis naturalis; unico verbo, naturalis amor tot habet caufidios, tot Advocatos causam suam agentes, ut magnæ deputetur iniquitati, ipsum condemnationis ferire sententiã.

Verum non condemnatur usque ad mortem; exoptatur, ut vivat vitã magis excellenti, commutatus in amorem supernaturalem. Inhibere absolutè, ne cor amet, foret sævissimò afficere illud supplicio, quo feriri precabatur olim à Diis cor inimici

Non tantum  
amor crimi-  
nalis, sed e-  
tiam amor  
naturalis est  
vituperandus.

Quomodo  
mor naturalis  
commutau-  
tus in super-  
naturalem.

mici sui: *Nec amet, nec ametur ab ullo.* Verum, estne hoc inhibere, ne amet, quando præcipitur, ut amet perfectius? Estne velle, ut neminem amet, dum obstringitur, ut omnes amet? Estne hoc privari amore, dulcissimo cordium solatio, non aucupari amplius solas propensiones naturæ, quæ nunquam non sunt debiles, valdè limitatæ & imperfectissimæ; sed permittere cor suum sacris affectibus gratiæ & impulsibus Spiritûs DEI, qui propinant ipsi delicias amoris vehementioris, amplioris, & incomparabiliter perfectioris.

Qui putant, non haberi amicos, nisi amentur amore naturali admodum vehementi & intenso, non credunt, ipsos aliâ ratione posse amari. Indulgeo illis, ut hâc ratione studeant amare; sed vellem interrogare ipsos, an Beati, qui sunt in gloriâ, ubi affectus amoris purè naturalis nullam amplius inveniunt locum, nullum habeant amicum? An amari possint amici perfectius, quàm amentur

ab ipsis? Vellem ulterius quærere ex illis, an animæ sanctæ, quæ semper vivunt in statu supernaturali gratiæ, uti contentunt occupare se nonnisi eodem amore divino, qui æternaliter regnare debeat in cœlo, expellentes pro viribus suis omnes affectus amoris purè naturalis, nullo fruantur amico? Nonnè hi amant amicos suos perfectius, dum amant more Beatorum, quàm si amarent ipso more brutorum animantium? Eheu! quâ ratione satiari cor potest amore naturali, eòquod tam pauper hic sit, ut nonnisi perpaucos admittat amicos, quos amet perfectè, cæteros omnes autem negliget & dimittat? ipsius namque est regula, quod, qui amat omnia, amet nihil. Nonnè id millies magis beatum est, dum unicè amori vacat & intendit supernaturali, cujus amplitudo non habet limites, cujus divitiæ nequunt exhaustiri: ipse nescit excludere aliquem, cum ipsius ex adverso sit effatum ac placitum: *Qui non amat omnia, amat nihil.*

## ARGUMENTUM.

*Quid fecerit Jesus Christus post reditum suum in Nazareth, usque ad ætatem triginta annorum?*

### ARTICULUS V.

Jesus Christus revertitur in Nazareth.

**A**ccidit nobis hic sicut sanctissimæ Virgini, quæ perdidit

præsentiam dilecti sui Filii, quin id perciperet tempore orationis suæ.

suæ. Dum loquebamur de Deo, JESUS CHRISTUS subtraxit se, non est amplius in templo, nec in civitate Jerosolymâ; inquiramus eum, & inveniemus rediisse ipsum cum Patre suo & Matre suâ in civitatem Nazareth, velut in profundam solitudinem, ubi dignus deinceps non erit mundus videre eum, nec sermonem audire de eo, usque ad spatium annorum octodecim.

Verùm quid fecit ibi? interrogavit Carpophorus: Nonne omnes Angeli, qui noverant & adorabant ipsum velut DEUM suum, descenderunt indies de cœlo ad exhibenda ipsi sua servitia, ad potiundum honore familiariter agendi cum ipso, ad præsentandas ipsi fidelitatis & obsequiorum suorum tesseras? an divinus hic sol ita abscondere se poterat, quin saltem civitas Nazareth perciperet aliquos Majestatis suæ radios, quibus invitarentur omnes ad prosternendum se ad pedes ejus?

Nihil novimus, respondet Ecclesiasticus, ex omni eo, quod circa adorandam ipsius personam accidit toto hoc diurni temporis spatio, nisi quod S. Lucas duobus verbis dixerit nobis: *Et erat subditus illis; quod vixit sub obedientiâ Virginis Matris suæ & S. Josephi, quamvis reverâ nemini deberet obedientiam aut submissionem in terrâ,*

Luc. 2.  
Quid JESUS  
fecerit in Na-  
zareth cum  
divinâ Matre  
suâ & S. Jose-  
pho.

imò nec divino Patri suo in cœlis, quoad divinam personam suam, juxta quam non est ipso inferior, sed ipsi in omnibus æqualis. Nihilominus ut doceret nos obedientiam ac humilitatem, quæ duo pensa sunt ad eò nobis difficilia captu voluit majorem vitæ suæ partem transigere in statu, qui totus videbatur incognitus, de quo aliud non diceretur, nisi quod obtemperavit.

Hæc super te exclamat S. Bernardus totus admiratione & gaudio abreptus. *Et erat, inquit, subditus illis. Quis? quibus? DEUS hominibus, DEUS inquam, cui Angeli subditi sunt, cui principatus & potestates obediunt, subditus erat Maria, sed etiam Joseph propter Mariam. Mirare ergo utrumlibet, & elige quid amplius mireris? sive Filii benignissimam dignationem, sive Matris excellentissimam dignitatem. Utrinque stupor, utrinque miraculum. Et quòd DEUS femina obtemperet, humilitas absque exemplo: & quòd Deo femina principetur, sublimitas sine socio. Disce homo obedire, disce terra subditi, disce pulvis obtemperare; Erubescere superba cinis: DEUS se humiliat, & tu te exaltas? DEUS se hominibus subdit, & tu Dominari gestiens hominibus, tuo te proponis Auctori. Sanctus Basilius in Constitutionibus, quas pro suis condidit Monasteriis, confecit quasi parvum compendium & Epitomen totius vitæ*

S. Bernard.  
Serm. 1. f.  
permissus est  
Egregius at-  
fectus S. Ber-  
nardi.

S. Basil. c. 4.

vitæ

vita Jesu Christi, toto illo tempore, quo habitavit in Nazareth velut in clauistro & cenobio, subditus Joseph & sanctissimæ Virgini velut superioribus suis, ubi dicitur, quòd cum mansuetudine & humilitate subiecit omnes labores corporales, quos filius humili natus loco subire consuevit, debita parentibus suis exhibens seruitia: Nam quia homines erant locupletissimi quidem bonis gratiæ, sed pauperes & tennes facultatibus fortunæ, assiduam navabant operam labori, ad comparandum vitæ necessariâ, pro parvâ & exili suâ familiâ. Et Jesus Christus laborabat cum ipsis ad contribuendum lucrando victui, comparandæ annonæ.

Sic plerumque senserunt omnes antiqui Patres Ecclesiæ, quòd verè laboraverit manibus suis, & artem exercuerit Mechanicam: quod ineffabile afferre debet solatiùm opificibus, dum adoranda hæc Majestas & insignita hæc sapientia conditionem suam anteposuit dignitatibus & honoribus divitum, nobilium Principum, Regum, qui se tantum excellere credunt pauperes opifices, nihilominus hoc semper affecti incommodo, quòd DEUS, quem adorant, conditiones omnes sublimes se æstimaverit indignas, & elegerit illam simplicium opificum, qui sua-

rum labore manuum suum lucrantur victum, o millies beatos, qui benè laborare noverint in societate cum Christo Jesu, imitando ipsius assiduitatem, insistendo ipsius exemplis, cum illius intentionibus uniendo suas!

Quando verba facere cepit ad populum, Judæi audiendo oracula ex ipsius ore profecta, prorsus attoniti se invicem interrogabant: *Unde huic sapientia hæc? Quomodò hic literas scit, cum non didicerit? Nonnè hic est, fabri filius? Nonnè mater ejus dicitur Maria? Nonnè frater ejus & sorores omnes apud nos sunt? Nonnè vidimus ipsum semper laborantem in tabernâ suâ? Unde ergò huic omnia ista?* Circa quod pro more suo S. Petrus Chry-

Matth. 13.  
v. 55.

Chrysológus  
Sermon. 48.

Pulchra consideratio  
S. Chrysológi circa laborem Christi.

U  
mo.

mo, tibi, ut opificem operis astinatione pensares.

PaulusBurg-  
rus in cap. 6.  
Marc.

Novi Auctores esse, qui teneant, Jesum Christum, non suam impendisse operam labori manuali, sed totum vitæ ipsius absconditæ cursum non fuisse nisi continuam de excellentiis DEI

Barradius in  
cap. 2. Luc.

contemplationem. Sed ultra id, quod nitentur contra torrentem & communem omnium Patrum, & totius antiquitatis sensum, non mediocrem parit difficultatem, accommodare ipsorum opinionem cum verbis Evangelii clarè dicentis, quod Judæi stupore perculsi ob ea, quæ operabatur, prodigia, interrogarint: Unde huic hæc omnia? Et quæ est sapientia, quæ data est illi? Nonne hic est fabri, filius Mariæ, frater Jacobi est Joseph? quâ ratione nuncupassent ipsum fabrum, si nunquam vidissent ipsum exercere hanc artem, & is nonnisi contemplationi navasset operam? Homines, qui non judicant nisi secundum exteriora, & præcipuè Judæi, qui non agnoscunt excellentiam vitæ internæ omne suum studium & animum intendentis Deo, nonne arguissent ipsam desidiæ, ignaviæ, pigritiæ? Nonne dixissent, quod, cum polleret viribus ac robore, navare operam debuisset labori, ad procurandum indigis suis parentibus victum & alimoniam. Sed quia semper ipsum laboran-

Probatio,  
quod Jesus  
Christus laboraverit manibus.

tem viderant cum S. Josepho, ideo credebant, ipsum eandem cum illo profiteri artem, idem amplecti institutum. Assentior quidem, contemplationem exercitium esse longè dignius Deo Beato, & Sancto Sanctorum, quàm sit labor & opus manuale; quodque, si delibendum fuisset inter ambo, ut amplecteretur unum & dimitteret alterum, præposuisset labori contemplationem. Sed quia in adorandâ ipsius personâ ambo non fuerunt incompatibilia, tam benè inter se conveniebant, ut contempleretur æquè perfectè, ac si non laboraret, & laboraret æquè perfectè, ac si non contempleretur. Hâc ratione mirum in modum nobis & exemplo & documento fuit, conjungi simul posse vitam activam & contemplativam, extra id, quod una præjudicio sit alteri. Laboratur melius, quando intenditur Deo, & animus Deo intentus conservatur & perficitur in labore, quandò omnia in ipsius sunt præsentia, & ex amore ipsius.

tem viderant cum S. Josepho, ideo credebant, ipsum eandem cum illo profiteri artem, idem amplecti institutum.

Assentior quidem, contemplationem exercitium esse longè dignius Deo Beato, & Sancto Sanctorum, quàm sit labor & opus manuale; quodque, si delibendum fuisset inter ambo, ut amplecteretur unum & dimitteret alterum, præposuisset labori contemplationem. Sed quia in adorandâ ipsius personâ ambo non fuerunt incompatibilia, tam benè inter se conveniebant, ut contempleretur æquè perfectè, ac si non laboraret, & laboraret æquè perfectè, ac si non contempleretur. Hâc ratione mirum in modum nobis & exemplo & documento fuit, conjungi simul posse vitam activam & contemplativam, extra id, quod una præjudicio sit alteri. Laboratur melius, quando intenditur Deo, & animus Deo intentus conservatur & perficitur in labore, quandò omnia in ipsius sunt præsentia, & ex amore ipsius.

O si nôsse quis posset, quanto fuerit contemplationis ipsius sublimitas? interpellat Carpophorus? Darem omnia ut videre li-  
Christus con-  
junctam vitam  
activam cum  
contemplati-  
vâ.  
Jesu Christi, & intima animi ipsius: siquidem certus sum, spectaculum hoc esse quod volu-

voluptate demulceat Angelos in cælo: Vorum sanctuarium hoc est oclusum hominibus. Jesus Christus solitarius in domo Josephi, est DEus absconditus; & vita ipsius contemplativa tota abstracta in intimo cordis ipsius arcano, est mysterium magis absconditum Dei prorsus absconditi. Oportet ipsum adorare à longè, & foret temeritas aliquem illuc moliri & attentare ingressum.

Verum quidem est, reponit Ecclesiasticus, quod abscondere velit divini hujus sanctuarii arcana prudentibus & sapientibus, id est, animabus superbis, juxta estatum Salvatoris nostri; sed revelare ea dignetur parvulis, id est, animabus humilibus. Sæpius

simplicissimi quique agentes cum Deo in oratione absque artificio & cum innocentia infantili, excipiuntur quàm lautissimè, demulcentur in eâ blanditiis, & ex eâ plura addiscunt prodigia, quàm sapientissimi Doctores mundi. Novi bonam quandam animam, cujus candorem videre licet tum in facie, tum in verbis ipsius, quæ stupendâ loquitur de vitâ internâ Jesu Christi, deque rebus, quas percipiebat, dum sola vivebat separata à mundo. Hoc abundè sat erat, ad addendos nobis stimulos, ut inquireremus illam, quam inventam accessimus, & die sequenti hanc cum ipso instituemus consultationem.

## CONSULTATIO XI.

### De Occupationibus & Vitâ solitariâ Jesu Christi.

Qui non habet cognitionem vite internæ legendô præterire potest hanc consultationem, quia nihil ex illâ intelliget.

**A**nima, quæ statuit abstracte se à mundo, ut totam integram consecret se Deo, committit furtum, quod impunè & inultum ipsi non abit. Crucifigetur namque à persecutionibus, quibus obruet ipsam mundus, ad ulciscendum se de illatâ sibi injuriâ & contemptu. Sed & furto suo & à cruce suâ non occidetur; Non

enim abfimilis est bono latroni, cui Salvator noster dixit è culmine crucis suæ, & in medio dolorum suorum: *Hodie mecum eris in Paradiso.* Ipsa profectò degustat delicias paradisi in solitudine suâ, in conversatione suâ cum Deo; & quamvis malè habeatur, non conqueritur de cruce sibi à mundo imposta, dedignans suos in ipsum retorquere

Luc. 23.  
v. 43.

Uu 2      ocu.